

No. 406. 1249. 13. März.

P. Innocenz IV. nimmt das Kloster zum heil. Kreuz in seinen besondern Schutz und trifft zu dessen Gunsten einige Anordnungen.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis in Christo filiabus abbatissae monasterii de Valle sanctae Crucis eiusque sororibus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet aut robur quod absit sacrae religionis enervet. Ea propter dilectae in Christo filiae vestris iustis postulationibus elementer annuimus et monasterium sanctae Crucis de Valle sanctae Crucis Misnensis diocesis, in quo divino estis obsequio mancipatae, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus in primis siquidem statuantes, ut ordo monasticus qui secundum deum et beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones quaecumque bona idem monasterium impraesentiarum iuste ac canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis praestante domino poterit adipisci, firma vobis et eis quae vobis successerint et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis necnon et cum pratis vineis terris nemoribus usuagiis et pascuis in bosco et in plano in aquis et molendinis in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quae propriis sumptibus colitis de quibus aliquis hactenus non percepit sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli sororum vestrarum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatissae suae licentia nisi artioris religionis obtentu de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis ianuis excommunicatis et interdictis exclusis non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, benedictiones monialium a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam et communionem sacrosanctae Romanae sedis habuerit et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiae vestrae nullus sine assensu diocesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvo privilegio pontificum Romanorum. Ad haec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis episcopis archidiaconis seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae